

conclusionem, patet quod falsum supponunt. Non enim sanctus Thomas ponit quod aliquis dicatur formaliter peccator, transente actu peccati, per aliquam privationem actualis iustitiae vel gratiae in voluntate precise, nec similiter per talen privationem ut est derelicta ex actu peccati; sed, ut dictum est, ille qui peccatum commisit, transente actu peccati, nondum peccato remisso per gratiam aut gracie sacramento, in illo intermedio dicitur formaliter peccator per peccatum precedens aliquo modo manens in suo effectu derelicto ex parte conversionis vel aversionis. Nec oportet quod, si iste dicatur actu peccator, quod sit formaliter peccator per aliquid quod est actu presens: quia non univoce dicitur quis peccator esse dum actu peccat, et dum cessat ab actu peccati, licet non a reatu; et ideo, propter talen analogiam hujus nominis *peccator*, et non univocationem, potest quis denominari peccator formaliter non solum a peccato presente, immo a peccato praeterito, dummodo aliqualiter maneat.

Ad illud quod tertio toco adducit, patet responsio. Tum quia falsum supponit, et false imponit. Tum quia prima consequentia argumenti non valet: quia non oportet quod macula sit habitus, aut habilitas, vel dispositio, nec aliquid positivum, absolutum aut relativum; sed quid sit, superius (ad argum. Scoti) dictum est sapienter. Et ita patet quod argumenta contra conclusiones inducta non valent.

Ad argumentum contra questionem, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 86, art. 4, in solutione primi, ubi sic dicit: « Culpa mortalis utrumque habet, et aversionem a Deo, et conversionem ad bonum creatum. Sed aversio a Deo est ibi sicut formale; conversio autem ad bonum creatum, est ibi sicut materiale. Remoto autem formalis cuiuslibet rei, tollitur res ipsa; sicut, remoto rationali, tollitur species humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quod per gratiam tollitur aversio mentis a Deo simul cum reatu penitentie aeternae. Remanet tamen id quod est materiale, scilicet inordinata conversio ad bonum creatum, pro quo debetur reatus poenitentiae temporalis. » — Hac ille.

Et haec de questione dicta sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

## QUESTIO II.

### UTRUM POST PENITENTIAM RESURGAT HOMO IN AQUALI VIRTUTE

**T**ERUM, circa quartamdecimam distinctionem, queritur: Utrum post penitentiam resurgat homo in aequali virtute.

Et arguitur quod sic. Dicit enim Apostolus, *Roman.* 8 (v. 28): *Diligentibus Deum*

*omnia cooperantur in bonum*; ubi dicit Glossa Augustini (*de Corrept. et gratia*, cap. 9), quod *hoc adeo verum est, ut si qui eorum devient et exorbitent, hoc ipsum Deus faciet eis in bonum proficere*. Sed hoc non esset, si homo resurgeret in minori virtute. Ergo, etc.

In oppositum arguitur. Quia charitas proficiens, vel perfecta, major est quam charitas incipiens. Sed quandoque aliquis cadit a charitate proficiente, resurgit autem in charitate incipiente. Ergo resurgit homo quandoque in minori charitate et virtute.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

## ARTICULUS I.

### PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod per penitentiam virtutes restituuntur.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 89, art. 1, ubi sic dicit: « Per penitentiam remittuntur peccata. Remissio autem peccatorum non potest esse nisi per infusionem gratiae. Unde relinquitur quod per penitentiam gratia homini infundatur. Ex gratia autem consequuntur omnes virtutes gratuithe, sicut ex essentia animae sunt omnes potentiae. Unde relinquitur quod per penitentiam omnes virtutes restituantur. » — Hac ille.

Eandem ponit, presenti distinctione, q. 2, art. 2, dicens: « Gratia et virtutes in anima causantur ex influentia divini luminis. Quae quidem influentia impeditur per peccatum, quod animam a Deo avertit; sicut nubes, interposita inter nos et solem, radium ejus a nobis prohibet; unde dicitur, Isaiae 59 (v. 2): *Peccata nostra divisorum inter nos et Deum nostrum*. Et quia per penitentiam peccata dimittuntur, et in primo penitentiae actu quantum ad offensam; ideo, sicut ventus auferens nubem, radium solis nobis restituit, ita penitentia, tanquam removens prohibens, gratiam gratum facientem et omnes virtutes nobis restituit. » — Hac ille.

Ex quibus potest formari talis ratio: Quidquid restituit gratiam gratum facientem, restituit virtutes. Sed penitentia est huiusmodi. Ergo, etc.

**Secunda conclusio est quod penitens non semper resurgit in aequali gratia vel virtute, immo quandoque in minori.**

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 89, art. 2, dicens: « Motus liberi arbitrii, qui est in justifica-

tione (a) impij, est ultima dispositio ad gratiam. Unde in eodem instanti est gratiae infusio cum predicto motu liberi arbitrii. In quo quidem motu comprehenditur actus penitentiae. Manifestum est autem quod forma que possunt recipere *magis* et *minus*, intenduntur et remittuntur secundum diversam dispositionem subjecti. Et inde est quod secundum quod motus liberi arbitrii in penitentia est intensor vel remissior, secundum hoc penitens consequitur maiorem vel minorem gratiam. Contingit autem intensionem motus penitentis quandoque proportionatam esse majori gratiae quam illa a qua cecidit per peccatum, quandoque autem aequali, quandoque autem minori. Et ideo penitens quandoque resurgit in majori gratia quam prius habuerat, quandoque autem in aequali, quandoque etiam in minori. Et eadem ratio est de virtutibus, que ex gratia consequuntur. » — Hac ille.

Eamdem ponit, 3. *Sentent.*, dist. 31, q. 4, art. 4, ubi, in solutione primee questiu[n]e, sic dicit : « Mensura charitati presigitur a Deo secundum suam voluntatem, et aliquo modo commensuratur ad eonatum, illius qui gratiam recipit. Unde, cum aliquis post peccatum possit multum et parum conari ad recipiendum charitatem, et divina liberalitati non ponatur terminus per peccatum (cum ipse, quantum in se est, sit paratus omnia peccata totaliter delere), oportet dicere, sicut et communiter dicitur, quod aliquis potest in majori et minori charitate resurgere. » — Hac ille.

Item, ibidem, in solutione secundae questiu[n]e, sic dicit : « Non est necessarium quod penitens semper in majori charitate resurgat; quia etiam minor preparatio et aequalis sufficit ad hoc quod gratia infundatur. » — Hac ille.

Item, in solutione tertie questiu[n]e, sic dicit : « In minori charitate potest homo resurgere; quia, quantumcumque remisso de peccato doleat et ad gratiam se preparet, dimmodo ad terminum contritionis perveniat, qua plus displaceat ei a Deo recessisse quam aliquid temporale incommodum, gratiam habebit, etiamsi non tantum preparat se quantum prius, dum fuit innocens, preparavit. » — Hac ille.

Item, ibidem (arg. Sed contra) arguit sic : « Minima contritio sufficit ad deletionem omnium peccatorum. Sed secundum quantitatem contritionis attenditur quantitas charitatis in qua quis resurgit. Ergo, cum poterit, quando prius gratiam habuit, ex magna preparatione gratiam accepisse, videtur quod possibile sit quod recipiat minorem gratiam et charitatem quam prius habuit. » — Hac ille.

Et in hoc primus articulus terminatur.

(a) in *justificatione*. — *in justitia* Pr.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

I. **Argumenta Scoti.** — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem, contra secundam arguit Scotus (dist. 22, q. 4, art. 2), probando quod omnis resurgens a peccato, resurgit ad maiorem gloriam quam ante casum.

**Primo.** Quia resurgens resurgit in omnibus illis bonis que prius habuit, jami vivificatis, et, praeter hoc, in isto actu penitentiae per quem resurgit, et quem superaddit illis preteritis; et sic habet plura merita in acceptatione divina, quam dum cecidit; et, ex ea parte, ordinatur ad maiorem gloriam.

Si dicatur quod non euicunq[ue] merito debetur aliquod premium essentiale sibi correspondens in gloria, sed tantum aliquod premium accidentale;

— **Contra hoc :** Quia, si quis illud solum haberet sine alio merito, beatificaretur non precise in illo gradu in quo (z) propter solam gratiam sine meritis beatificaretur, sicut parvulus baptizatus : gloria enim euicunq[ue] habentis proprium meritum, excedit gloriam talis. Ergo quocunq[ue] meritum sequens alia merita jam habita, requirit proprium gradum glorie essentialis sibi correspondentem. Nec tamen per quocunq[ue] meritum statim augatur gratia; nec habens plura merita, semper est in majori gratia. Etsi ergo sufficiat sola gratia ad aliquam gloriam, tamen meritis correspondet aliquis determinatus gradus glorie saltem; licet majori gratiae sine meritis correspondat major gloria, tamen in quocunq[ue] gradu eodem ponatur (z) meritum annexum, licet illo non statim intendatur (z) gratia, tamen correspondet sibi aliquis gradus glorie, ultra illum gradum qui precise correspondet isti gratiae.

**Secondo.** Quia ista via consonat Scriptura, que in multis locis istam sententiam divinae justitiae asserit, quod *reddet unicuique secundum opera sua* (in Psalmo 61, v. 33; et ad Romanos, cap. 2, v. 6); misquam autem habetur quod unicuique reddet secundum habitum suum. Consonat etiam observantie divine legis. Quia, secundum ipsam, utile est, quantum possibile est, opera meritoria exercere, quamvis remissa adeo ut (z) per illa non statim augatur (z) gratia; quia correspondet singulis in acceptatione divina determinatus gradus

(z) a verbo *beatificaretur* usque ad *in quo*, om. Pr.

(z) *ponatur*. — *ponitur* Pe.

(z) *intendatur*. — *intenditur* Pr.

(z) *quamvis remissa adeo ut* — *quantumcumque re-*

*missa adeo ut* etsi Pr.

(z) *augatur*. — *augetur* Pr.

glorie. Nec adeo expedit salvare gratiam quantum opus remissum agere, per quod non augetur gratia: quia, etsi (2) iste remisso agens non habeat majorem gratiam per opus suum quam ille dormiens in quo salvatur gratia sine tali opere, non tamen iste frustra egit, nec in nullo excedit illum qui dormivit; immo, per hoc quod egit, jam dignus est aliquo bono aeterno, quo non est dignus ille alius. — Hec Scotus, in forma.

**II. Argumenta Aureoli.** — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (dist. 22, q. 1, art. 1), probando quod resurgens a peccato, semper resurgit in majori habitu charitatis et gratiae, vel saltem in aequali; et idem est de gloria.

**Primo.** Quia bona opera reviviscent. Ergo merentur eundem gradum glorie quem prius; et non solum hoc, sed eundem gradum gratiae. Per actum etiam penitentie acquiritur novum meritum, qui, additus prioribus, meretur ampliorem gradum gratiae, et, ex consequenti, gradum (5) glorie ampliorem.

**Secundo.** Quia quando aliqua cadunt ordinate sub merito mediate et immediate, ita quod alteri debetur meritum alio mediante, quicumque meretur mediatum, meretur immediatum, per quod devenitur ad illud mediatum. Sed augmentum glorie et augmentum gratiae hoc modo cadunt sub merito ordinate, quod nullus meretur augmentum glorie, nisi mediante augmentatione charitatis, juxta illud Augustini (Epist. 486, al. 406, cap. 3): *Charitas meretur augeri, ut aucta mereatur perfici; supple per premium glorie; quasi dicat quod ideo charitas augetur, ut premium glorie augeatur; ac per hoc videtur quod gloria per hoc augetur, quia gratia prius augetur.* Sed, per te, bona opera merentur augmentum glorie. Ergo necessario merentur augmentum gratiae.

**Confirmatur.** Quia enicunque competit angere magis, competit angere minus. Bona autem opera merentur augmentum glorie. Ergo et augmentum gratiae.

**Tertio.** Quia qui habet plura merita, est Deo magis acceptus. Ergo quicumque meretur majorem gradum prius, meretur majorem gradum gratiae.

**Quarto.** Quia quicumque est melior, magis est Deo gratus. Sed quicumque habet plura merita, est melior. Ergo est Deo magis gratus.

**Quinto.** Quia ex opposito sequitur hoc inconveniens, quod qui magis diligitur a Deo, minus premitur: nam, per te, habentem minorem gratiam magis premiabit. — Hec Aureolus, in forma.

**III. Argumenta Henrici.** — Contra eamdem conclusionem arguit Henricus, *Quodlibeto 5, q. 24,*

(2) *etio.* — *in Pr.*

(5) *gradum.* — *gradum Pr.*

ubi vult probare *primo* (2), quod resurgentium a peccato, unus non resurgit in majori gratia quam aliis, sed omnes in aequali, dicens sic: Aliqui dicunt quod charitas datur secundum conatum recipientium; et quia, post peccatum, potest homo plus vel minus conari, et unus plus quam aliis, et Deus (6) paratus est dare cuilibet secundum quod paratus est et dispositus, unus (7) potest resurgere in aequali, vel majori, vel minori. — Sed hoc non valet.

**Primo** (2). Quia conatus qui est in detestationem peccati et adoptionem gratiae, est ad bonum supernaturale; et ideo non potest esse sine gratia praeveniente liberum arbitrium, et inclinante ad illum motum, et praeveniente illum conatum.

**Secondo.** Quia gratia non datur regulariter secundum mensuram conatus. Quia, si gratia praeveniens daretur secundum mensuram conatus, tunc daretur secundum mensuram operum sequentium. Quod est falsum: quia, si gratia daretur secundum mensuram operum sequentium, tunc omnes qui ex majori gratia praevenirentur, majora opera facerent; quod non ponitur. Si ergo illa gratia sit gratum faciens, non datur secundum mensuram conatus. Si vero sit gratia (2) gratis data, praeveniens conatum liberi arbitrii, oportet quod ipsa (3), ex se, sine cooperatione liberi arbitrii, in detestationem peccati et appetitum gratiae moveat, ita ut liberum arbitrium non moveatur nisi motu. Cui inclinationi, seu impulsui, si liberum arbitrium non resistat, quero: utrum, antequam coagat, detur gratia justificans, aut non, sed expectatur ejus cooperatio, que dicitur conatus? Si primo modo, ergo non datur illa secundum conatum. Si secundo modo, tunc gratia dabatur ex merito; et sic justificatio erit ex merito, congrui, non condigni. Quod non est dicendum: quia tunc parum dabatur largitati divina; quia Augustinus, contra Pelagianos, videatur sentire quod gratia justificans praevenit omnem motum liberi arbitrii ex electione. Et ideo non est ponendum quod libero arbitrio a gratia impulso et non rebellanti detur gratia justificans, ut ipsum non rebellare sit (4) meritum congrui. Et ideo videtur magis quod Deus inclinat per gratiam gratis datum ad detestationem peccati et bonum supernaturale; dummodo tali motu non resistat, dat gratiam, licet non cometur, nec cooperetur: ut sic in prima justificatione Deus justificet te sine te non rebellante; ut cooperatores Dei simus, solum augmentum gratiae justificantis merendo; ita ut mensura charitatis sit

(2) *primo.* — *in Pr.*

(3) *qui.* — *Ad. Pr.*

(4) *minus.* — *in Pr.*

(5) *Primo.* — *in Pr.*

(6) *sit gratia.* — *in Pr.*

(7) *ipsum.* — *ipsum Pr.*

(8) *non.* — *Ad. Pr.*

a Deo solum secundum libitum voluntatis ejus. Quantum tamen ex parte liberi arbitrii in quo recipitur, habet commensurari dispositioni ejus. Haec autem dispositio est pure negativa, scilicet *non resistere*. In pura autem negatione non est *magis et minus*. Et ideo non magis resistit unus quam alter, sed omnes aequaliter; licet *resistere* bene recipiat *magis et minus*, quia fit per aliquid positive. Et ideo prima gratia justificans, quantum est ex parte liberi arbitrii, aequaliter datur omnibus. Et sic omnis resurgens, in quantum resurgens, in aequali charitate resurget.

**Secundo loco** principaliter agit de comparatione charitatis praecedentis ad sequentem, dicens: Si vero fiat comparatio ad charitatem quam cadendo amisit, dicendum quod hanc quæstionem praecedunt aliae duæ: scilicet utrum opera mortificata reviviscant in resurgentे; et, dato quod sic, utrum charitas ex qua processerunt, reparetur in charitate illa qua resurgens justificatur, an in dispositione divina reservetur conferenda in augmento charitatis quod fieri in glorificatione. Si primo modo, tunc quilibet in majori resurgeret. Si secundo modo, tunc non resurgeret nisi (z) in minori, si, post primam gratiam, per bona opera, aliquod augmentum gratiae meruisset.

**Tertio loco** vult probare quod euilibet resurgentи a peccato datur major gratia quam innocentи, dicens: Si, inquit, fiat comparatio ad qualitatem recipientis justificationem a peccato originali tantum, ut in parvulis, non requiritur ibi gratia præveniens ad inclinandum liberum arbitrium, neque præparatio positiva, ut in adultis; sed solum requiritur quod non ponatur obex, scilicet motus aliquis in peccatum mortale contrarius gratiae (6). Et sic ista dispositio negativa est. Propter quod aequalis gratia confertur omnibus innocentibus. Sed alia est ratio negationis in non ponendo obicem, et alia illius in non rebellingo: quia ista est negatio processus in malum, illa autem pugnæ contra bonum; et pertinet ista ad concupisibilem et conversionem ad bonum ut nunc, illa ad irascibilem et conversionem a bono simpliciter. Quia ergo pejus est impugnare bonum simpliciter quam concupiscere bona ut nunc (quia formalis ratio peccati magis consistit in aversione a bono simpliciter, quam in conversione ad bonum ut nunc; non enim mala esset illa conversio, nisi quia mala est aversio), tanto econtra melior est impugnationis negatio quam concupiscentiae, et melior dispositio ad majorem gratiam disponit; ideo major gratia datur quibuscumque resurgentibus a peccato actuali, quam que datur innocentibus purgatis à solo originali. — Haec ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(z) nisi. — Om. Pr.

(6) *motus aliquis in peccatum mortale contrarius gratiae*.  
— *modus aliquis in peccatum mortale* Pr.

### ARTICULUS III.

#### PONUNTUR SOLUTIONES

##### AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Scotti.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et ideo

**Ad primum** Scotti contra secundam conclusionem, dicitur quod ad illud argumentum respondet sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 31, q. 1, art. 4, q<sup>a</sup> 3, ubi arguit sic, in quarto loco: « Pœnitentia vivifacit merita per peccatum mortificata. Ergo pœnitens tantam habebit gloriam, quantum ante peccatum meruerat. Sed tantum meruerat, quantum de charitate habuerat. Ergo gloria quam pœnitens habebit, proportionatur charitati quam ante peccatum habuit. Proportionatur autem charitati in qua in morte invenitur post pœnitentiam: quia lignum ubi ceciderit, ibi erit, *Eccles. 11* (v. 3). Ergo charitas in qua resurget pœnitens, est aequalis charitati a qua cecidit. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut ex predictis patet, per priora merita merebatur sibi tantam gloriam, quantum charitatem habebat. Sed ipse per peccatum factus est alter, et non plenarie ad pristinum gradum restitutus. Et ideo non plenarie recipiet effectum priorum meritorum, nisi quantum ad premium accidentale, quod commensuratur actibus magis quam habitui charitatis. » — Haec ille. — Item, art. 1, in solutione secundi, sic dicit: « Qui-dam dixerunt quod charitas nunquam meretur, nisi finalis. Sed hoc falsum est: quia charitas finalis non potest dici nisi que est in ultimo termino vitae; et tunc forte homo nihil meretur, sed dormit. Unde dicendum quod quilibet actu charitatis meretur vitam æternam, et efficit eam sibi debitam. Sed quando peccat, jam efficitur quodammodo aliis, ut dicit Philosophus in 9. *Ethicorum*; quia transmutatur ab eo quod erat sibi conveniens secundum naturam, in id quod est praeter naturam. Et ideo non oportet quod ei reddatur; sicut et illud quod est debitum reddi sano, non redditur furioso. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod, licet pœnitens resurgat in omnibus meritis que ante peccatum habuit, et pro quilibet corresponeat sibi aliquis gradus glorie, non tamen tantus quantus ante peccatum sibi corresponebat, nisi resurgat in aequali charitate; quia, si resurgat in minori, jam est effectus alter, et indispositus ad recipiendum totum effectum praecedentium meritorum vivificatorum. Nec tamen dicitur quod in tali resurgentे meritis vivifi-

catis correspondeat tantum (a) præmium accidentale, et nullum essentiale. Et ideo responsio quam arguens recitat, non est tenenda. Nec est secundum mentem sancti Thomæ. Quod patet : nam, 3 p., q. 89, art. 5, arguit sic, tertio loco : « Opera in charitate facta merentur gloriam secundum quantitatem gratiae vel charitatis. Sed quandoque per pœnitentiam homo resurgit in minori gratia vel charitate. Ergo non consequitur gloriam secundum merita priorum operum; et ita videtur quod opera mortificata per peccatum, non reviviscant. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum; inquit, quod ille qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequitur præmium essentiale secundum quantitatem charitatis in qua invenitur; habebit tamen majus gaudium de operibus quae sic fecit; quod pertinet ad præmium accidentale. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod impugnatio illius responsionis assumit quoddam dubium, vel forte falsum, scilicet quod cuiuscumque merito addito gratiae correspondeat majus præmium essentiale, quam soli gratiae præcise. Si enim hoc sic intelligatur, quod aliquis gradus gloriae correspondet operi præcise, qui non correspondeat gratiae præsenti vel future, falsum est; quia præmium essentiale commensuratur gratiae et charitati. Si autem intelligatur sic, quod operi elicito a gratia præsenti correspondet aliquis gradus gloriae, qui non commensuratur præsenti gratiae, sed futuræ, verum dicit; nam qui cumque actus est meritorius novæ gloriae, vel novi ejus gradus, est etiam meritorius novi gradus gratiae, cui correspondet et commensuratur gradus gloriae. De hoc sanctus Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 114, art. 8, in solutione tertii argumenti, sic dicit : « Quilibet actu meritorio meretur homo augmentum gratiae, sicut et gratiae consummationem; quæ est vita æterna; quæ, sicut non statim redditur, sed suo tempore, ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis sufficienter fuerit dispositus ad gratiae augmentum. » — Hæc ille. — Item, 2<sup>a</sup> 2<sup>a</sup>, q. 24, art. 6, in solutione primi, sic dicit : « Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam; non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum; non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum. » — Hæc ille. — Verumtamen, 1. *Sentent.*, dist. 17, q. 2, art. 3, in solutione quinti, videtur dicere oppositum. Ait enim sic : « Quando est talis actus charitatis, qualis requiritur ad augmentum charitatis, tunc etiam augetur præmium substantiale, quod debetur majori charitati consequenti actum, non autem charitati quæ est radix actus. Non autem omnes sunt tales. Et ideo ad multiplicationem talium actuum non

sequitur de necessitate augmentum præmii substantialis. » — Hæc ille. — Et plura similia dicit in eodem articulo, et 2. *Sentent.*, dist. 40 (z). Sed tenendum est quod finaliter dixit in *Summa*.

Dicitur tertio, quod, concessso quod pœnitens resurgat in pluribus meritis quam ante, non tamen sequitur quod resurgat semper ad majorem gloriam : quia quandoque merita pœnitentia peccatum, et sequentia post pœnitentiam, innituntur minori habitui gratiae et charitatis quam ante; et sic sunt minus gratifica, et minus accepta, et ad minorem gloriam ordinata.

Ad secundum dicitur primo, quod via sancti Thomæ magis consonat Scripturæ quam via Scoti : quia, licet Scriptura dicat Deum redditum cuilibet secundum opera sua, tamē alibi (*Roman.* 6, v. 23) dicit : *Gratia Dei, vita æterna*. Unde sanctus Thomas, 1. *Sentent.*, dist. 49, q. 1, art. 4, q<sup>a</sup> 4, ubi querit, Utrum diverse mansiones patriæ distinguantur penes diversos gradus charitatis, arguit sic, in secundo loco : « In Psalmo (61, v. 13), dicitur : *Tu rededes unicuique secundum opera sua*. Sed illud quod redditur, est beatitudinis mensura. Ergo gradus beatitudinis distinguuntur secundum diversitatem operum, et non secundum diversitatem charitatis. » Item, tertio, arguit sic : « Præmium debetur actu, et non habitui; unde non fortissimi coronantur, sed agonizantes, ut patet, 1. *Ethicor.* (cap. 8); et 2. *Timoth.* 2 (v. 5), *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*. Sed beatitudo est præmium. Ergo diversi gradus beatitudinis erunt secundum diversos gradus operum, et non secundum diversos gradus charitatis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Ad secundum, inquit, dicendum quod opera non habent quod eis retributio gratiae redditur, nisi inquantum sunt charitate informata; et ideo, secundum, diversos charitatis gradus, erunt diversi gradus in gloria. — Ad tertium, dicendum quod, quamvis habitus charitatis vel (6) ejuscumque virtutis non sit meritum cui debeat præmium, est tamen principium et tota ratio merendi in actu; et ideo secundum ejus diversitatem præmia distinguuntur; quamvis etiam ex ipso genere actus possit aliquis gradus in merendo considerari, non quidem respectu præmii essentialis, quod est gaudium de Deo, sed respectu aliquujus præmii accidentalis, quod est gaudium de aliquo bono creato. » — Hæc ille. — Item, in principali responsione questionis, sic dicit : « Principium distinctivum mansionum, sive graduum habitudinis, est duplex : scilicet propinquum, et remotum. Propinquum est diversa dispositio quæ erit in beatis, ex qua continget diversitas perfectionis apud eos in operatione beatitudinis. Sed

(a) Cfr. præsertim q. 1, art. 3, ad 4<sup>um</sup>.

(6) vel. — Om. Pr.

principium remotum, est meritum quo tales beatitudinem consecuti sunt. Primo modo autem distinguuntur mansiones secundum charitatem patriæ; quæ, quanto in aliquo erit perfectior, tanto eum reddet capaciorem divinæ claritatis; secundum ejus augmentum (2) augebitur perfectio divinæ visionis. Secundo modo vero distinguuntur secundum charitatem viæ. Actus enim noster non habet quod sit meritorius ex ipsa substantia actus, sed solum ex habitu virtutis quo informatur. Vis autem merendi est in omnibus virtutibus ex charitate, quæ habet ipsum finem pro objecto. Et ideo diversitas in merendo tota reducitur ad diversitatem charitatis. Et sic charitas viæ distinguit mansiones per modum meriti. » — Hæc ille.

Dicitur secundo, quod illa via Scotti non ita consonat observantiae legis sicut via opposita. Observatio enim legis consistit magis in gratia et charitate, quam in exteriori opere; nam lex nova principaliter consistit in gratia Spiritus Sancti. De hoc sanctus Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 106, art. 1, sic dicit: « *Unaquæque res videtur esse illud quod est in ea potissimum*, ut dicit Philosophus, 9. *Ethicorum* (cap. 8). Illud autem quod est potissimum in lege novi testamenti, et in quo tota-eius virtus consistit, est gratia Spiritus Sancti, quæ datur per fidem Christi. Et ideo principaliter lex nova est ipsa gratia Spiritus Sancti, quæ datur Christifidelibus. Et hoc manifeste apparet per Apostolum, qui, *Roman.* 3 (v. 27), dicit: *Ubi est gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem fidei;* ipsam enim fidei gratiam *legem* appellat. Et expressius, ad *Rom.* 8 (v. 2), dicitur: *Lex Spiritus vitæ in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis.* Unde et Augustinus dicit, in libro *de Spiritu et Littera* (cap. 24), quod *sicut lex factorum fuit in tabulis lapideis, ita lex fidei scripta est in cordibus fidelium.* Et alibi dicit, in eodem libro (cap. 21): *Quæ sunt leges Dei ab ipso Deo scriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus Sancti?* Habet tamen lex nova quædam sicut dispositiva ad gratiam Spiritus Sancti, et ad usum hujus gratie pertinentia, quæ sunt quasi secundaria in lege nova, de quibus oportuit instrui fideles Christi et verbis et scriptis, tam circa credenda quam circa agenda. Et ideo dicendum est quod principaliter nova lex est lex indita, secundario autem est scripta. » — Hæc ille. — Item ad hoc facit Glossa ex Augustino sumpta, super illud Psalmi 70 (v. 15), *Quoniam non cognovi negotiationem, vel litterarum, etc.* Quæ sic dicit: *Negotiatio græce ab actu dicitur, latine a negato otio (6).* Negotiatores ergo actuosi sunt, scilicet Judæi, et alii, qui ab eo

*quod agunt præsumunt, opera sua laudent, non pervenient ad gratiam, quæ hoc commendat ut nemo de se glorietur. Qui vero gloriatur, tanquam negotiator de templo a Domino ejicitur, qui ejecit vendentes et ementes de templo. Econtra requies est in Deo, qui justificat. Illi negotiatores potius sunt inquieti quam boni operatores. Unde et negotiatores dicuntur, qui negant otium, de quo dicitur (Psalm. 45, v. 11): Vacate et videte quoniam suavis est Dominus. Et est sensus: Non cognovi negotiationem, id est, de actibus præsumentes, et ex operibus suis justitiam quærentes, etc. Et, post multa, sic dicit: Non cognovi litterarum, id est, non approbavi quemquam ex operibus legis justificari; sed reprobavi de littera legis præsumentes, a gratia resilientes.* — Hæc ille. — Ex quibus patet quod observatio legis non principaliter stat in actu exteriori, vel in negotiatione.

Dicitur tertio, quod per opera remissa nullus acquirit nec meretur novum gradum gloriae, nisi quia simul meretur novum gradum gratiae vel charitatis. Et ideo principalis conatus debet esse cuilibet ut crescat in gratia et charitate Dei et proximi, in qua est principalis observatio legis, et secundum quam quantificabitur gloria, ut saepe dictum est. Ad intellectum predictorum facit illud quod dicit sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 48, q. 1, art. 2, in solutione quarti argumenti, ubi sic dicit: « Ille qui meretur, non oportet quod proficiat quantum ad rationem merendi: hoc enim accidit ei ex hoc quod radix meriti, scilicet charitas, non est in suo termino. Sed oportet quod omnis qui meretur, proficiat quantum ad mercedem quam meretur, ut scilicet eam sibi debitam faciat vel simpliciter, vel quantum ad aliquem modum quo sibi prius debita non erat. » — Hæc ille. — Item, art. 5, sic dicit: « Mereri est facere aliquid sibi debitum. Hoc enim contingit tribus modis. Uno modo, quando aliquis facit de non debito sibi debitum; sicut aliquis primo motu charitatis meretur vitam æternam, faciens eam sibi debitam, quæ prius ei debita non erat. Alio modo, quod erat sibi minus debitum, faciendo magis debitum; quod contingit in eo in quo charitas angetur. Tertio modo contingit quando aliquis quod est uno modo debitum, facit alio modo sibi debitum; sicut puer baptizatus, cui debetur vita æterna ex habitu gratiae in baptismō infusæ, quando usum liberi arbitrii incipit habere, facit eam sibi debitam ex actu. Primo ergo modo Christus meruit in primo instanti sue conceptionis claritatem corporis; quæ quidem non erat sibi debita ex conditione naturæ in se consideratae, neque consequebatur ex unionis necessitate, sicut gloria fruitionis. Secundo autem Christus mereri non potuit, quia charitas non est aucta in ipso. Tertio meruit sibi in omnibus actibus suis post primum instans conceptionis sue; quia

(2) secundum ejus augmentum. — et secundum ejus Pr.

(6) negato otio. — negotio Pr.

fecit sibi debitum aliquibus actibus, quod prius aliis actibus debebatur. » — Haec ille. — Non tamen intelligas quod nunquam per actum exercitum ab habitu charitatis vel gratiae aliquis mereatur novum gradum gloriae, ultra illud quod debetur habitui elicienti et informanti actu; sed solum illud quod uno modo debebatur actu primo, alio modo debebatur actu secundo. Iste enim sensus falsus est, ut patuit, et patebit. Sed est intelligendum quod ille gradus gloriae, qui debebatur gratiae, debetur actu elicitu per eam; et, ultra hoc, debetur ei novus gradus gloriae, correspondens novo gradu gratiae quam meretur, si gratia sit augmentabilis, et non in termino. Nullus enim meretur novum gradum gloriae, nisi quia prius natura meretur augmentum gratiae et novum gradum ejus.

**II. Ad argumenta Aureoli.** — Ad primum Aureoli, negatur prima consequentia. Licet enim priora merita mortificata reviviscant in pœnitente, non tamen habent omnem et eundem vel tantum effectum quem vel quantum ante peccatum, dum ex majori gratia vel charitate eliciebantur, quam sit nova gratia in qua pœnitens resurgit; et sic non oportet, in illo casu, quod perducant ad eundem vel æqualem gradum gloriae qui eis ante peccatum debebatur. Et hoc contingit propter indispositionem remisse pœnitentis, ut prius dictum est.

Ad secundum dicitur quod nihil concludit contra nos. Quia, si loquatur de meritis præcedentibus peccatum, conceditur quod illa utrumque merebantur, scilicet augmentum gratiae et gloriae; sed in isto remisso pœnitente, qui non disponit se ad suscipcionem æqualis sed minoris gratiae, non sortiuntur completum effectum, ut scilicet in præsenti recipiat totum illud augmentum gratiae, et in futuro totum illud augmentum gloriae, nisi intensius se disponat quam in actu primo pœnitentiae. Si autem loquatur de merito novo actus remissi pœnitentiae, qui minori charitate et gratia informatur et elicitor quam præcedentia merita, dicitur quod non meretur æqualem gradum gloriae, et sic nec æqualem gradum gratiae, sicut priora merebantur.

Ad confirmationem, patet per idem. Potest tamen dici quod, posito quod primum meritum pœnitentis mereretur æqualem gradum gratiae, non tamen sequitur quod augmentum gratiae statim sibi infundatur, sed in futurum, quando ad hoc erit dispositus; et sic non sequitur quod resurgat in æquali vel majori gratia, sicut nec resurgit cum gloria, ut patet ex prædictis.

Ad tertium dicitur quod antecedens est dubium, vel falsum. Si enim intelligatur comparatio inter duos, quorum unus habet plura merita quam alius, antecedens universaliter intellectum, falsum est. Nam contingit aliquem habentem pauca merita, esse Deo magis acceptum et gratum quam sit alius

habens plura merita: sicut patet de angelo respectu hominis, et de anima Christi respectu animæ Virginis Mariae, comparando eas pro instanti conceptionis Christi; in illo enim instanti illa anima erat summe accepta et grata Deo, licet haberet ( $\alpha$ ) pauca merita. Non enim habens plura merita, est gratior Deo quam habens pauciora, nisi cetera sint paria, puta actus æque perfecti secundum speciem, et æque intensi secundum gradum, et informati æquali gratia et habitu virtutis; alioquin unum meritum intensum, majori gratia informatum, reddit gratorem quam multa merita remissa, parva gratia informata. Si autem fiat comparatio ejusdem ad seipsum, qui scilicet nunc habet plura merita quam prius habuit, adhuc antecedens universaliter intellectum, falsum est, nisi cetera sint paria, tam ex parte meriti quam ex parte merentis. Contingit enim gratiorem esse eundem hominem cum quatuor meritis, tempore quo habet majorem gratiam, quam cum quinque, tempore quo habet minorem gratiam, et remissius se disponit, et remissius diligit Deum et proximum propter Deum; actu et habitu, quam prius. Si autem cetera sint paria, tunc conceditur quod habens plura merita, est gratior simpliciter, vel secundum quid, in re, vel in spe; quia scilicet ad multiplicationem meritorum augetur gratia, vel in futurum augebitur, nisi praestetur impedimentum. Ex quibus patet quod, si antecedens intelligatur in sensu quo debet concedi, argumentum non valet: quia minor est neganda; nam pœnitens remisso se disponens, licet habeat plura merita quam prius, non tamen æqualia prioribus, vel non æqualiter respectu ejus operantia, propter suam indispositionem.

Ad quartum, negatur minor, si universaliter intelligatur. Conceditur tamen quod habens plura merita quam prius, et æqualia in se, et respectu merentis, ut prius, est melior simpliciter, vel secundum quid, in re, vel in spe, quam prius; sed hoc non habet locum in proposito, ut patet ex dictis sœpe.

Ad quintum, negatur consequentia. Nec valet ejus probatio. Non enim dicimus quod resurgens in minori gratia magis præmietur essentiali præmio propter plura merita remissa quæ habet nunc, quam prius, dum habebat pauca, sed intensa. Sed potest concedi quod propter plura dignus est præmiari nunc quam prius; vel quod meretur plura præmia, non tamen æque intensa, ut prius, ut de se patet. Unde omnia argumenta procedunt ex falso intellectu conclusionis, vel ex quadam falsa suppositione, non concessa, nec probata, scilicet quod quilibet resurgens a peccato per pœnitentiam, resurgat ad æqualem gloriam essentialis præmii; quod sanctus

( $\alpha$ ) licet haberet. — et licet haberet Pr.

Thomas non intendit, nec concedit, ut supra patuit (α).

**III. Ad argumenta Henrici.** — Ad argumenta Henrici contra eamdem conclusionem inducta, dicitur quod omnia tria puncta, vel tres conclusiones quas intendit probare, falsae sunt. Unde

*Ad primum* pro prima sua conclusione dicitur, negando antecedens. Non enim oportet quod dispositio positiva ad gratiam, scilicet detestatio peccati, et appetitus gratiae et justitiae, procedat ex gratia habituali gratum faciente; sed sufficit quod procedat ex gratia actuali gratis data, quae est aliqua motio, ut ostendit sanctus Thomas, 4<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 412, art. 2, ubi sic dicit: « Gratia duplicitate dicitur: quandoque ipsum habituale donum; quandoque autem ipsum auxilium Dei moventis animam ad bonum. Primo ergo modo accipiendo gratiam, exigitur ad gratiam aliqua animae preparatio; quia nulla forma potest esse nisi in materia disposita. Sed, si loquamur de gratia secundum quod significat auxilium Dei moventis ad bonum, sic nulla preparatio requiritur ex parte hominis, quasi preveniens divinum auxilium; sed potius quaecumque preparatio in homine esse potest, est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum. Et, secundum hoc, ipse bonus motus liberi arbitrii quo quis preparatur ad donum gratiae suscipendum, est actus liberi arbitrii moti a Deo; et, quantum ad hoc, dicitur homo se preparare, secundum illud *Proverb.* 16 (v. 4): *Hominis est preparare animum.* Et tamen est principaliter a Deo movente liberum arbitrium; et, secundum hoc, dicitur *a Deo voluntus hominis preparari* (*Prov.*, c. 8, v. 35, juxta version. LXX), et *a Domino gressus hominis dirigi* (*Psalm.* 36, v. 23). » — Hæc ille. — Item, art. 4, sic dicit: « Gratia, ex parte subjecti, potest recipere *magis et minus*, prout scilicet unus perfectius illustratur a lumine gratiae quam alius. Cujus diversitatis ratio quidem (β) est aliqua ex parte preparantis se ad gratiam: qui enim se ad gratiam magis preparat, plenioram gratiam suscipit. Sed ex hac parte non potest accipi prima ratio hujus diversitatis: quia preparatio ad gratiam non est hominis nisi in quantum liberum arbitrium ejus preparatur a Deo. Unde prima hujus diversitatis causa est accipienda ex parte Dei, qui diversimode sua dona dispensat, ad hoc quod ex diversis gradibus pulchritudo et perfectio Ecclesie consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset universum perfectum, etc. » — Hæc ille. — Similem sententiam ponit, 4. *Sentent.*, dist. 17, q. 4, art. 2, in solutione secundie questiunculae, et in responsione ad secundum, ubi sic dicit: « Voluntas nostra est

omnino pedissequa respectu divinitate gratiae, et nullo modo praevia: quia ipsa voluntas bona, quæ gratiam gratum facientem præcedit, ex Deo nobis provenit, qui gratuitate sui voluntate nos ad hoc provocat, vel flagellis, vel aliquo auxilio interiori. Nec tamen voluntas hæc est prævia, sed pedissequa respectu gratiae gratum facientis; quia non est causa ipsius, sed aliqualiter (γ) ad ipsam viam parat. » — Hæc ille.

Concordat isti solutioni Bernardus de Gannato, in impugnatione prædicti *Quodlibeti* Henrici, ubi sic dicit: « Multa, inquit, dubia dicit. Et opinio quam impugnat, vera est, quod in adultis, secundum majorem vel minorem conatum, datur major vel minor charitas, secundum communem cursum; licet Deus, de potentia sua absoluta, posset dare sine conatu, vel majorem, ubi esset minor conatus. — Quod autem dicit, quod conatus in detestationem peccati et acceptancem gratiae est supernaturalis; — dicendum quod talis conatus supponit aliquid supernaturale, puta vel fidem informem, vel auditum aliquem de rebus supernaturalibus (ε); non autem oportet quod præcedat ipsum gratia gratum faciens. Item, istum conatum præcedit quadam motio divina, qua homo movetur ad bonum supernaturale, faciendo quod in se est. Quod autem per specialem Dei motionem moveatur vel conetur (γ) ad aliquid supernaturale, non est inconveniens. Ille tamen conatus, nisi sit cum charitate, non est meritorius merito de condigno, sed de congruo. Non ergo oportet quod gratia præveniat liberum arbitrium, ut dicit, sed motio illa, vel aliqua præcognitio de supernaturalibus. » — Hæc Bernardus, et bene.

*Ad secundum*, negatur consequentia: quia conatus ille non est opus sequens tempore vel natura gratiam gratum facientem, sed præcedens tempore quandoque; licet sequatur aliquam gratiam secundo modo dictam, puta divinam motionem. De hoc Bernardus, ubi supra, sic dicit: « Ad aliud quod dicit, quod si gratia daretur secundum mensuram conatus, tunc daretur secundum mensuram operum sequentium; — dicendum quod non sequitur. Prima enim gratia, qua homo justificatur, datur gratis, et sine merito de condigno. Potest tamen ipsam præcedere meritum de congruo; et, secundum quod maius est in uno quam in alio, datur major charitas. Et istud meritum est conatus iste, secundum quem regulariter datur major vel minor charitas. Si autem illa motio qua liberum arbitrium movetur ad bonum supernaturale, vocetur gratia gratis data, tunc talem conatum præcedit gratia gratis data. Nec oportet quod inclinet liberum arbitrium ad determinandum peccatum sufficienter: quia tunc sine cha-

(α) Cf. ad primum Scoti.

(β) *quidem.* — *quædam* Pr.

(γ) *vel.* — *Ad.* Pr.

ritate posset sufficienter detestari peccatum; quod est falsum. Nec est inconveniens quod liberum arbitrium non moveat se ad gratiam gratum facientem, nisi motum a Deo, nec detur etiam gratia justificans adulto antequam coagat aliquid consentiendo divinae motioni: quia etiam ipsum detestari peccatum imperfecte, ut per attritionem, et appetere gratiam, agere quoddam est; et hoc praeedit gratiam justificantem, licet simul tempore possit esse. Unde aliquando attritio praeedit contritionem, aliquando autem non praeedit attritio, sed simul tempore, cum homo incipit detestari peccatum, datur ei gratia, ita quod actus, qui ex parte sui principii non erat meritorius, per gratiam concomitantem quasi justificat. Et ideo adhuc dabitur secundum mensuram conatus, licet Deus possit eam dare sine conatu, ut dedit Paulo. — Quod autem dicit, quod, si gratia non praecederet illum conatum, vel si conatus esset dispositio ad gratiam, tunc justificatio esset ex merito, sicut reprobatio; — dicendum quod non est inconveniens quod justificatio sit ex merito de congruo, non autem de condigno. Et ideo non simpli- citer ex merito datur, sed secundum divinam largitatem. — Quod autem dicit de Augustino, quod gratia justificans praeedit omnem motum liberi arbitrii; — dici potest dupliceiter. Primo, quod praeedit omnem motum meritorium liberi arbitrii. Secundo, quod Augustinus vocat hic gratiam justificantem illam divinam motionem qua primo incipit moveri liberum arbitrium, que dicitur justificans, quia disponit ad justificationem, non quia faciat justificationem. Nec ponimus, sicut iste ponit, quod ipsum non rebellare sit meritum congrui (hoc enim parum esset); sed ipsum consentire ex majori vel minori affectione illi motioni divinae, ponimus esse meritum congrui. Unde non rebellare non est sufficiens dispositio: quia plus potest homo facere, etiam sine gratia; quia consentire illi motioni, et appetere gratiam. Et ideo extorte exponit dictum Augustini: quia Deus non justificat adultum nisi eo cooperante saltem per consensum; et ideo non sufficit quod non rebellet. Unde cooperatores Dei sumus, non solum merendo augmentum gratiae, ut dicit, immo etiam merendo primam gratiam, merito de congruo, non de condigno. Deus autem non mensurat gratiam, secundum communem cursum, nisi secundum recipientium dispositionem. — Quod autem dicit, quod dispositio ad gratiam est pure negativa, — non est verum; immo est positiva, ut visum est, et intenditur et remittitur in diversis. Et ideo non datur aequalis gratia justificans omnibus resurgentibus, ut singit. De gratia autem que datur parvulis, est alia ratio: quia illa datur sine merito proprio et congrui et condigni, ex mera liberalitate Dei. Unde, quantum est ex parte parvolorum, omnes sunt aequaliter dispositi ad gratiam. Et ideo aequalis gratia regulariter eis datur, licet Deus pos-

set aliter facere. » — Hec Bernardus, et bene, et conformiter sancto Thome, 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 412, art. 2, et q. 414, art. 3 et 5, quoad multa. Et similiter, 2. *Sentent.*, dist. 27, q. 1, art. 4, ubi arguit sic, quarto loco: « Si Deus dat alicui gratiam, aut dat digno, aut indigno. Si dat indigno, insipiens est et injustus; quod est impossibile. Ergo dat digno. Sed nullus est dignus habere aliquid, nisi qui hoc meruit. Ergo quicumque accipit gratiam primam, prius meruit ipsam. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum quod indignum potest sumi dupliceiter. Vel (z) negative tantum; et sic Deus dat gratiam indignis, quia his qui non sunt sufficienter ad hoc digni, sed tamen habent aliquam dispositionem ad recipiendum, ex quo dieuntur quodammodo ex congruo mereri. Nec ex hoc sequitur quod Deus sit injustus, sed liberalis. Vel sumitur contrarie, ut dicantur indigni qui habent voluntatem resistentem gratiae; et talibus gratiam non infundit, quia ad virtutem non cogit, ut dicit Damascenus (2 de Fid. Ort., cap. 42 et 30). » — Hec ille. — Item, *de Virtutibus*, q. 1, art. 1, in solutione secundi, sic dicit: « Mereri dupliceiter accipitur. Uno modo, proprie; et sic nihil aliud est quam facere aliquam actionem unde aliquis juste sibi acquirat mercedem. Alio modo, improprie; et sic qualibet conditio quae facit hominem aliquo modo dignum, meritum dicitur; ut si dicamus quod species Priami meruit imperium, quia digna fuit imperio, etc. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod, secundum eum, in dictis locis, posset dici quod homo posset sibi mereri primam gratiam merito congrui, licet non condigni.

Verumtamen, in 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, videtur ponere quod nullo modo potest quis sibi mereri primam gratiam; sed quod actus praecedentes gratiani habitualem, licet possint dici dispositiones, non tamen merita respectu gratiae. Unde, q. 412, art. 2, in solutione primi, sic dicit: « Preparatio hominis ad gratiam habendam, quaedam est simul cum ipsa infusione gratiae. Et talis preparatio est quidem meritoria; sed non gratiae, quae iam habetur, sed gloriae, quae nondum habetur. Est autem alia preparatio gratiae imperfecta, quae aliquando praeedit donum gratiae gratum facientis, quae tamen est a Deo movente. Sed ista non sufficit ad meritum, nondum homine per gratiam justificato: quia nullum meritum potest esse nisi ex gratia. » — Hec ille. — Et similiter ad hoc videtur redire, 2. *Sentent.*, ubi supra (dist. 27, q. 1, art. 4); nam, in solutione quinti, sic dicit: « Potentia materiae est proportionata ad receptionem formae. Et ideo dispositiones illius et habilitates convenienter possunt merita nominari. Sed gratia excedit omnem proportionem naturae, ut actus naturales non possint dici merita respectu gratiae, sed dispositiones remotae tantum. » — Hec ille. — Item, 1<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>,

(z) *Videlicet* — *scilicet* Pr.

q. 114, art. 5, in solutione secundi, sic dicit: « Deus non dat gratiam nisi dignis: non tamen ita quod prius digni fuerint; sed quia ipse per gratiam eos facit dignos, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine (Job, 14, v. 4). » — Hec ille. — Ex quibus patet quod, secundum ultimam ejus determinationem, nulla dispositio praecedens habitum gratiae potest dici meritum primae gratiae, nec de condigno, nec de congruo, nisi multum impropte.

Dicitur ulterius, quod, cum arguens ponat aliquam dispositionem negativam ex parte suscipientis gratiam, quae sic est ab homine, quod non a Deo movente per gratiam, aliqualiter declinat ad errorem Pelagianorum ponentium aliquam dispositionem ex parte liberi arbitrii, quam non habet a Deo vel divina gratia. Nec effugitur error ille per distinctionem de dispositione positiva et negativa: quia talis dispositio negativa habet rationem boni; et sic habet illa positio dicere aliquod bonum non esse a Deo; quod erroneum est, potissimum in bonis quoque modo ad gratiam pertinentibus, sive antecedenter, sive concomitant, sive consequenter. De hoc sanctus Thomas, 1 p., q. 23, art. 5, ubi diffuse de hoc loquitur; et, inter cetera, dicit: « Quidquid est in homine ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu predestinationis, etiam ipsa prima preparatio ad gratiam. Neque enim haec sit nisi per auxilium divinum, secundum illud *Thren. ult.* (v. 21): *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur.* » Item, ibidem, sic dicit: « Non est distinctum quod est ex libero arbitrio et ex predestinatione, sicut non est distinctum quod est ex causa secunda et ex causa prima. Divina enim providentia producit effectum per operationes causarum secundarum. » — Hec ille. — Item, 1<sup>a</sup> 2<sup>ra</sup>, q. 109, art. 6, probat quod « homo non potest se preparare ad lumen gratiae suscipiendum, nisi per auxilium gratuitum Dei interius moventis ».

Ad illud quod adducit pro sua secunda conclusione, respondet Bernardus, ubi supra, dicens: « Licet autem opera mortisca reviviscant in resurgentia a peccato, non tamen oportet quod semper resurgat in majori charitate quam fuit illa quam amisit, ut dicit: quia non sic reviviscunt, ut gratia praecedens redeat, et alia addatur; sed quia in dispositione divina imputantur ad vitam aeternam, que non imputarentur nisi iste resurgeret a peccato; et ideo secundum conatum majorem vel minorem dabitur ei major vel minor charitas quam fuit illa quam amisit. Nec oportet, quidquid detur, quod semper resurgat in minori: quia nec sic Deus servat in sua dispositione bona opera, vel charitatem ex qua processerunt, quin etiam paratus sit dare charitatem majorem magis dispositio. Quod autem dicit in solutione argumenti, quod Deus restituit gratiam amissam, — non credo quod restituat eamdom

numero: quia idem potest facere alia gratia; et ideo non oportet quod semper sit major recuperata quam perdita. » — Hec Bernardus, et bene. — Ex quibus patet ad argumentum. Quia nec prima charitas eadem numero reparatur et aequa intensa semper in resurgentia, nec eadem charitas et aequa intensa reservatur sibi conferenda in posterum. Nec similiter oportet quod, si ex operibus ex prima gratia elicitis meruit aliquod augmentum gratiae, recuperet illam vel aequalem gratiam cum aequali augmento, ut prius dictum fuit; immo potest contingere quod resurget in minori charitate et gratia; sed forte in posterum pertinget ad illud augmentum quod prius meruit, et forte nunquam pertinget, si debiliter, remisse, aut tepide, aut nulliter ad hoc conetur.

Ad probationem tertiae conclusionis respondet Bernardus, ubi supra, dicens: « Quod autem dicit de duabus dispositionibus negativis, non valet; quia non sunt dispositiones per se. Immo in adultis est dispositio positiva. Et ideo non est necessarium quod dicit, quod omnibus resurgentibus a peccato datur major gratia quam innocentibus. Potest enim adultus tam modice conari, quod modica gratia dabatur ei, forte minor quam parvulo, cui datur gratia sine conatu, et sine dispositione positiva. » — Hec ille, et bene, praeter hoc quod ponit gratiam infundi parvulis sine quacumque dispositione positiva. Hoc enim non est verum: quia baptismus collatus parvulis, imprimit eis dispositionem aliquam positivam ad gratiam, que dicitur ornatus, vel character, ut alias dictum est (2). Et de hoc alias forte videbitur. Videtur enim sanctus Thomas velle quod nunquam confertur gratia alicui nisi cum dispositione positiva ad gratiam. Unde, 1<sup>a</sup> 2<sup>ra</sup>, q. 112, art. 2, arguit sic (tertio loco): « Agens infinitae virtutis non requirit dispositionem in materia; cum nec ipsam materiam requirat, sicut in creatione appareat; cui collatio gratiae comparatur, que dicitur nova creatura, ad Gal. ult. (v. 15). Sed solus Deus, qui est infinitae virtutis, gratiam causat. Ergo nulla preparatio requiritur ex parte hominis ad gratiam consequendam. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum est quod agens infinitae virtutis non exigit materiam, vel dispositionem materiae, quasi presuppositam ex alterius cause actione. Sed tamen oportet quod, secundum conditionem rei causandae, in ipsa re causet et materiam et dispositionem debitam ad formam. Et similiter, ad hoc quod Deus gratiam infundat anime, nulla preparatio exigitur, quam ipso non faciat. » — Hec ille. — Consimiliter, prima distinctione Quarti, q. 4, art. 4, in solutione prime quæstiunculae, sic dicit: « Principale agens respectu justificationis Deus est,

(2) Cf. dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2<sup>um</sup>; et dist. 4, q. 1, art. 3, § 2, II, ad 2<sup>um</sup>; et dist. 7, q. 4, art. 3, ad 2<sup>um</sup>.

nece indiget ad hoc aliquibus instrumentis ex parte sua; sed propter congruitatem, ex parte hominis justificandi, utitur sacramentis quasi quibusdam instrumentis justificationis. Hujusmodi autem materialibus instrumentis competit aliqua actio ex natura propria, sicut aquae abluere, et oleo facere nitidum corpus; sed ulterius, in quantum instrumenta divine misericordie justificant, pertingunt instrumentaliter ad aliquem effectum in anima, qui primo correspondet sacramentis, sicut est character, vel aliquid hujusmodi. Ad ultimum autem effectum, qui est gratia, non pertingunt etiam instrumentaliter, nisi dispositive, quantum ad hoc quod illud ad quod instrumentaliter effective pertingunt, est dispositio, quae est necessitans, quantum in se est, ad gratiae susceptionem. » — Haec ille. — Similia ponit, 3 p., q. 63, art. 6, in solutione tertii, et in multis aliis locis.

Caetera vero quae dicit Bernardus, possunt stare, potissime de dispositione requisita in adultis. Unde sanctus Thomas, 1<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 412, art. 2, arguit sic, secundo loco: « Ille, inquit, qui in peccato progreditur, non se preparat ad gratiam habendam. Sed aliquibus in peccato progredientibus data est gratia; sicut patet de Paulo, qui gratiam consecutus est dum esset *spirans minarum et cædis in discipulos Domini*, ut dicitur, *Act. 9 (v. 1)*. Ergo nulla præparatio ad gratiam requiritur ex parte hominis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Homo, inquit, ad gratiam se preparare non potest, nisi Deo præveniente et movente ad bonum. Et non refert utrum subito vel paulatim aliquis ad perfectam præparationem perveniat. Dicitur enim, *Ecli. 11 (v. 23)*, quod (z) *facile est in oculis Dei subito honestare pauperem*. Contingit autem quandoque quod Deus movet hominem ad bonum, non tamen perfecte; et talis præparatio præcedit gratiam. Sed quandoque statim perfecte movet ipsum ad bonum, et subito homo gratiam accipit, secundum illud *Joan. 6 (v. 45)*: *Omnis qui audivit a Patre et didicit, venit ad me*. Et ita contigit Paulo: quia subito, cum esset in progressu peccati, perfecte motum est cor ejus a Deo, audiendo et addiscendo et veniendo; et ideo subito gratiam consecutus est. » — Haec ille.

Et haec sufficiunt pro responsionibus objectorum.

Ad argumentum pro quæstione, respondet sanctus Thomas, 3 p., q. 89, art. 2, in solutione primi, dicens: « Non omnibus diligentibus Deum cooperatur in bonum hoc ipsum quod per peccatum a Dei timore cadunt (quod patet in his qui cadunt, et nunquam resurgunt, vel qui resurgunt, iterum casuri); sed (6) his qui secundum propositum vocati sunt sancti (*Roman. 8, v. 28*), scilicet præ-

destinatis, qui, quotiescumque cadant, finaliter tamen resurgunt. Cedit ergo eis in bonum hoc quod cadunt, non quia semper in majori gratia resurgent, sed quia resurgent in permanentiori gratia: non quidem ex parte ipsius gratiae, quia, quanto gratia est major, tanto est permanentior; sed ex parte hominis, qui, tanto stabilius in gratia permanet, quanto est cautor et humilior. Unde et Glossa, ibidem, subdit quod *ideo proficit eis in bonum quod cadunt, quia humiliores redeunt, quia doctiores sunt*. » — Haec ille. — Et in idem redit responsio data ad idem argumentum, 3. *Sentent.*, dist. 31, q. 1, art. 4, q<sup>u</sup> 3, in solutione primi, ubi sic dicit: « Hoe dictum intelligitur non semper quantum ad majorem quantitatem charitatis, sed quantum ad majorem diligentiam vel humilitatem, in qua pœnitens resurgit, ad minus actualiter. Minus autem malum est ut charitas diminuatur quam ut totaliter amittatur; et minus malum computatur pro magis bono, ut dicitur, 5. *Ethicorum* (cap. 1). Et ideo in bonum diligentis Deum cedit peccatum, etiam si in minori charitate resurgat: quia per humilitatem et cautelam ab omnimoda gratiae ammissione curatur (z). » — Haec ille.

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus in secula. Amen.

## DISTINCTIO XV

### QUESTIO I.

#### UTRUM HOMO POSSIT DEO SATISFACERE PRO PECCATO

**S**IRCA decimamquintam distinctionem 4. *Sententiarum* queritur: Utrum homo possit Deo satisfacere pro peccato.

Et arguitur quod non. Quia ille cuius totum quod habet, non sufficit ad unum debitum exsolvendum, non potest pro alio suo debito satisfacere. Sed quidquid homo est, et potest, et habet, non sufficit ad exsolvendum debitum pro beneficio creationis; unde, *Isaiæ 40 (v. 16)*, dicitur quod ligna Libani non sufficient ad holocaustum. Ergo nullo modo potest satisfacere pro debito offense commisso.

In oppositum arguitur. Quia, sicut dicit Hieronymus (in *Exposit. fidei ad Damas.*), *qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse homini, anathema*

(z) *quod.* — *quia Pr.*

(6) *in.* — *Ad. Pr.*

(z) *curatur.* — *tueatur Pr.*